



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 4. Temesvaria a Sigismundo Battorio obsessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A. C. 1596. mine Clementis VIII. Transylvaniæ Principi in singulos menses quadraginta aureorum millia pollicitus est: horum itaque subsidiorum spe fretus Sigismundus obtenta a Cæsare abeundi venia per Lintzium Viennam die undecima Martii pervenit, ubique pari honorum testificatione receptus; cum autem Græcium ad Mariam socrum suam contendere pararet, accepto nuntio, quod novi tumultus domi fuissent exorti, mutata itineris ratione in patriam propere reversus est.

§. IV.

*Temesvaria a Sigismundo Batorio
obsessa.*

Thuan. l. c. Die duodecima Aprilis Franciscus Nastauius, & Gregorius Stephanus Turcas ad certaminis necessitatem compellebant, eosque feliciter in fugam agebant, captis illorum aliquot, qui ipsum Mahometem cum tribus validissimis exercitibus in Pannoniam irrupturum retulerunt, quo cognito Rudolphus, & Sigismundus paratis omnibus ad acre bellum necessariis summum Pontificem datis literis sollicitabant, ut per Italiam delectus haberi, atque auxiliares copias submitti curaret. Nec suo officio de-
erat Pontifex; quippe non modo in ditione Ecclesiastica, sed permittente Philippo

lippo II. in tota etiam Italia habito delectu octo equitum, peditumque duodecim millia Ductore Francisco Aldobrandino submitit, ejusdem Pontificis instinctu, Etruriæ, & Mantuæ Ducibus pariter validas militum suppetias ferentibus: cum igitur plures Christianorum exercitus diversis itineribus in Hungariam penetrarent, vario Marte pugnatum est, ac præprimis Cæsarei inito prælio prope Lippam urbem quatuor turcarum millia trucidarunt, captis quam plurimis: ipse etiam Sigismundus Plivianum exiguum oppidum ad Ischam situm occupat, atque urbe flammis absumpta Bassam unacum uxore, & liberis suis captum abducit: qua victoria animatus Temesvariam munitissimam Hungariæ superioris urbem, ac Bassæ sedem obsidere statuit; cum enim præsidiarii jam antea infausta eruptione plurimum imminuti essent, Batorius hostium trepidatione opportune utendum ratus ad hanc urbem castra posuit, atque aliis quibusdam minoris momenti arcibus feliciter occupatis jam amplam murorum partem tormentorum vi disjecit: cum autem vigesima quinta Maji die, seu decima ab obsidione Tartari turcis foedere conjuncti per Ponti Euxini littus in Bulgariam irrumpentes Temesvariam contenderent, turcæ qua-

Sæcul. XVI.
A.C. 1596.

draginta millium numero aucti Christianorum castra a tergo invadunt, quibus tamen Batorius nullam virtuti difficultatem imperviam esse ratus strenue occurrit, atque animo ad vincendum obfirmato, quamquam numero hostibus longe inferior esset, acerrimum prælium iniiit, tandem vero nutantis victoriæ controversiam diu ambiguan nox diremit, æquato pene utrinque decore, nisi quod longe major turcarum clades fuerit, & Christianorum nonnisi mille quingenti ceciderint: ipse equidem Sigismundus in prælio occisus credebatur, qui tamen ad suorum preces jam antea e pugna discesserat, finito autem certamine reversus, cum Temesvarienses præsidarii diruta mœnia reparassent, ac recentibus copiis auferentur, obsidionem solvit, seque in Transylvaniam recepit, validiores ibi præstolaturus suppetias, cum Germanorum, & Hungarorum auxilia a Cæsare promissa haud amplius sibi polliceretur: in itinere autem constitutus Fallacam oppidum haud procul a Lippa situm deditione recepit.

§. V.

Maximiliani Archiducis expeditio in Turcas.

Spond. n. 5. Interea Cæsareus exercitus, cum e
Thus. l. c. longinquo, & a diversis Provinciis
Isthuan. collige-
l. 30. p. 690.